

DISSERTATIO THEOLOGICO-CRITICA

in

*Matth. XXVII: 62. sqq. et
XXVIII: 4, 11-15.*

Quam

EX SPECIALI S:Æ R:Æ M:TIS VENIA
CONS. VENER. FAC. THEOL. AF.

Publico examini subjiciunt

Mag. GUSTAVUS GADOLIN,

L. L. O. O. ET GR. PROF. REG. ET ORD.

et

GABRIEL PALANDER,

STIP. REG. TAVASTENSIS.

In Aud. Maj. d. XX Dec. MDCCXCVI.

A. M.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

L.

INSTITUTIONAL REPORT

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.

1911

1911

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911

1911



Jesu in vitam reditum, quo omnis nostra de divina doctrinæ, quæ nobis tradidit, origine persuasio, omnisque vitam æternam per Ipsum consequendi spes nitatur, dubium reddere, ut suapte vi, religio sanctissima, erepto ei firmissimo veluti fundamento, concideret, ab antiquissimis inde temporibus voluerunt Christianismi adversarii. In quam rem quibus pro suo quisque ingenio variis usi sunt argumentis, eorum plurima Auctor *Fragmentorum*, quæ *Guelpherbytana*, nomine loci ubi manu scripta laterent, dicere solemus, colligens (*) sua fecit, et novis rationibus auxit. Ad quas igitur ab eo historiæ Evangelicæ oppositas difficultates omnes removendas vix sufficere eruditionis et ingenii acuminis mediocritatem, literario orbi in confesso est; quanquam in homine, sive modicum orationis ejus cultum, sive minus accuratum argumentorum delectum, sive in ratiocinando inconstantiam spectes, quas virum, res serias maximique momenti in examen revocaturum, conjunctas ornare par est, laudes jure non omnino immerito desiderabis.

Quare, quumque confidentius et cum acerbitate quadam pronunciata facilius adprobentur et latius in
A vul-

(*) In *quinto* suo fragmento, a Cel. G. E. LESSING in *viertem Beytrage zur Geschichte und Literatur*, primum edito.

vulgus serpant, e re maxime esse Religionis duxerunt summi nostræ ætatis Theologi, ut temerarii illi Anonymi scriptoris impetus reprimerentur. Vindices igitur sacrorum commentariorum felices qui extiterint, Cel. J. D. MICHAELIS (*) et JOH. CHR. DOEDERLEIN (**), in primis sunt nominandi.

Quoniam vero in mentionem custodum ad sepulcrum Jesu positorum, a Matthæo solo factam, infestata potissimum direxerat Fragmentista, in ea igitur defendenda et cum ceteris evangelii concilianda magnam operam viri laudati collocarunt.

Aliam STROTHIUS, quem præmatura admodum morte criticæ sacræ et exegesi ereptum lugemus, viam, qua optime superari ab adversario objecta speraret, aperuit, totum qui in Matthæo est, de custodibus locum, (***) in numerum traditionum sublestæ fidei Palæstinensium, quas Evangelio Matthæi hic illic recentiori manu insertas esse, singulari disertatione (****) *Repertorii literarum Biblicarum et Orientalium* Tomo IX. inserta demonstrare conatus est, referens.

Per se quidem patet, in his rebus, quæ sensuum iudicio magnam partem sunt subiectæ, ut quod extra omnem con-

(*) *Erklärung der Begräbnis- und Auferstehungs Geschichte Christi nach den vier Evangelisten*, Hæ 1785; cui libro, appendicis loco, inter Jo. Liennio, additum est *Das fünfte Fragment selbst mit Michaelis Anmerkungen*.

(**) *Fragmente und Antifragmente*, 1. Tb.

(***) Præiverat sententiam J. S. SEMLERUS *Paraphr. Evang. Johannis*, in notis ad Joan XX: 11, Matthæo hanc Evangelii ejus partem ierius esse adjectam suspicatus.

(****) *Von Interpolationen in Evangelium Matthæi*.

controversiam positum sit, ita etiam, quod omnibus sit acceptum et probatum, vix quicquam proferri posse. Aliis igitur non omnia, quæ Anonymus excitaverat dubia, a propugnatoribus Matth. XXVII: 62 sqq. et XXVIII: 4, 11-15, sublata esse sunt visa (*); alii medelam, quam adhibere STROTHIUS voluit; utpote vel fano loco non necessariam vel violentiorem simul atque incertam rejecerunt (**).

Maximæ hinc et dignæ, quæ diligenter instituantur, sunt quæstiones: *An quæ de monumento Jesu custodia munito in Matthæo legantur, in se probabilia sint? An iis, quæ alii divini scriptores de resurrectione Christi prodiderint, repugnent? An ipsi Matthæo totius facti memoriam debeamus?* Cum quibus arcto nexu alia conjuncta est, qua *an veritas Christi in vitam reditus ab autbentia hujus loci Matthæani pendeat*, dubitatur. In quas igitur causas quæ pauciora nos meditati sumus, benignæ Lectoris censuræ ita submittemus, ut in iis, quæ ab eruditissimis viris egregie et copiose disputata sint, repetendis non multi simus.

§. I.

Primum igitur in loco nostro Fragmentorum Auctorem (***) vehementer offendit, quod, ipso videl. Scrip-
A 2
ptoris

(*) Vid. præter alios J. G. EICHHORN *Allgem. Bibl. d. Bibl. Literatur*, II. B. pag. 679.

(**) Inter quos præcipue H. PH. C. HENKE *Disp. de Evangelii Matthæi integritate interpolando non corrupta*, et G. CHR. STORR passim in *Disfert. Exeget. in libb. N. T. histor. aliquot loca*.

(***) L. c. pag. 437.

ptoris verba exponente, universus Judæorum senatus Pilatum, ab eo ut sibi peteret custodes sepulcro Jesu adponendos, die Sabbathi (*) convenisse, et inde, per urbem

(*) Primum quidem festum azymorum diem (*am ersten Ostertage*) Fragmentista male loquitur, eundemque in diebus computandis errorem alio loco (in *Fragmento de consilio Jesu et ejus discipulorum*, Berolini 1784. iterum edito, pag. 152.) ad abjectum proposita sua adsequendi desperatione Jesu animum, metuque, justo scilicet, percussum, quo frequentiam, quæ tum maxima erat, fugiens, iplis sacris solemnibus, Hierosolymæ procuratis, adesse reformidaret, sed extra urbem in conventu clandestino, tutela nocturni silentii fretus, pascha quoddam *μνημονευτικὸν* cum paucis familiaribus celebraret, inique commonstrandum traducit. — Vesperam, qua agnum Paschalem cum suis ultimum Salvator comederet, diem decimum quartum mensis Abib s. Nisan proxime esse secutam, et hinc ad decimum quintum ejusdem mensis diem (proprie azymorum primum, qui eo anno in Sabbathum inciderat), quo ipso Jesus cruci affigeretur, pro Judaica tempus putandi ratione esse referendam, patet ex Matth. XXVI: 17. sqq. et Marc. XIV: 12. sqq., ubi *τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων* (pridie azyma s. die sacram vesperam præcedente), qua deberent sibi *ἐτοιμάζειν φαγεῖν τὸ πάσχα*, ac Luc. XXII: 7. sqq., ubi *ἡμέρα ἀζύμων, ἐν ἣ ἔδει δύναι τὸ πάσχα*, cœnam illam parasce, eaque instructa, *ἀφίας* ejusdem diei *γενομένης*, ad mensam cum Magistro dilectissimo accubuisse, discipuli leguntur. Joannis igitur verba Cap. XIII: 1. *πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα*, de ultimis horis decimi quarti Nisan, post quem exeuntem *δῆπνον ἐγένετο*, v. 2., accipienda videtur

dem ducta solenni pompa, comitantibus militibus Romanis, prodiens, monumentum diligenter obsegnatum præsidio cinxisse narretur. Quæ omnia a Synedrio eo minus agi potuisse existimat, quo certius idem, si non modo legem Mosaicam negotiis quibusvis Sabbatho gerendis interdicens turpiter adeo et publice violasset, sed et, cum gentilium societate, tum sepulcro manibus tractando, se polluisset, universi populi, divina illa instituta et antiquos mores religiose observantis, odium in se concitaturum fuisse arbitretur (*). Mutuam quoque inter ea, quæ

A 3

tur. Unde τὸ πάσχα, quo postridie vescituri essent Judei, Joh. XVIII: 28, potius de festis reliquis conviviiis (vid. MICHAELIS *Jus Mos.* § §. 189 et 197), quam de agno paschali explicandum; cfr. quæ ad h. l. observavit LIGHTFOOT in *Horis Hebr. et Talmud.* — Ceterum argumenti, quod in locum nostrum struxit Fragmentista, vis, si quæ est, non minuitur correcto hocce rationis vitio; nam et alias sanctiora erant Sabbathæ primis ultimisque festorum anniversariorum diebus (Levit. XXIII: 3. Exod. XVI, 22-30, XXXV: 2, 3, et Num. XV: 32-36, coll. cum Exod. XII: 16.), et hoc præcipue Sabbathum, per quod integrum in sepulcro exanime Christi corpus jacuit, maximum erat, (ἡν μεγάλη ἡ ἡμέρα ἔκεινε (i. ἐκείνη) τῆ σαββάτου, Joan. XIX: 31.) quod et festum diem idem involveret, et inprimis, quod eo (Levit. XXIII: 9-15. Jos. V: 11.) mensis primitiæ Deo essent offerendæ. Cfr. etiam quæ de hac re monuit MICHAELIS in *Erkl. d. Begr. u. Auferst. Gesch. Chr.*, pag. 376 et 421.

(*) Pag. 452.

quæ de discipulis Jesu, resurrectionem Ejus non tam non sperantibus, quam ne cogitantibus quidem prodita sint, et quæ de Judæis eandem fortasse fingendam metuentibus perhibeantur, pugnam deprehendisse sibi videtur (*). Et quod ad vigiles pecunia corruptos (Matth. XXVII: 12. 199.) attinet, Senatum septuaginta sapientum virorum, qui, se ad consilium relata, unanimi consensu falsum facere et ipse decreverit, et ad se ejusdem sceleris obnoxios reddendos alios nefarie permoverit, animo concipi haud posse opinatur (**); minui præterea narratorum fidem censet, diversitate opinionum de mortuorum resurrectione, quam scilicet senatorum alii agnoscerent, alii negarent, studii varietate, qua ad rem Christianorum promovendam alii, alii ad evertendam ferrentur, absurditate de funere clam subducto commenti, et quæ reliqua sint, ex libello adversarii uberius haurienda.

Varia his motis dubiis opposita sunt, inter quæ eximia multa atque firma; sed vereor, ne hic idem, quod in litibus cum animorum contentione agitata soleat, fere evenerit, ut causæ suæ nimis fidentes, ei non omnino consuluerint loci nostri defensores, veritatis aliquam speciem Anonymi adsertis ægerrime concedentes. Profecto fatius videtur, rem nostram feliciter vindicatam servare, quam eam, parta jam victoria, ad hostium veluti omnem manum undique profligandam e tutis bene et munitis locis egresfos, denuo periclitari. Atque ne agros inundet, fluvium modicis aggeribus sapientiores coercemus, quam ejus cursum prorsus sistentes, interclusæ aquæ copiam et vim, vastissimas etiam moles disjecturam, augeamus.

Quan-

(*) Pag. 451.

(^{oo}) Pag. 453 199.

Quantum igitur minime infitiandum est, nimirum quantum in frangenda sacri scriptoris auctoritate sese Fragmentistam versasse, ob grammaticam tamen ab ipso datam verborum evangelicorum interpretationem (*), quam, si pompæ celebritatem et cetera solemnia ei demas, quodam certe modo defendi posse existimem, an ignorantia vel calumnia possit jure argui, nescio. Sit *συνάγεισθαι πρὸς τινὰ*, ut Rabbinorum *לָקוּחַ מִן דָּבָר*, simpliciter aliquem adire (**), quo sensu Latinorum etiam *convenire* usurpatum reperies, non poterit tamen illud: *σύνιχθῆσθαι ἢ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι*, si ad vim articuli præpositivi attendas, nisi vel de *plurimis* (i. omnibus, omnes ut sapius

(*) Quam tamen explicationem non minus ineptam putat Rev. DOEDERLEIN *l. c. pag. 214* quam si quis ex Matth. XXVII: 41. et Luc. XXIII: 55. universos Judæorum fenatores Jesum cruci adfixum turpiter irrisisse, exponere velit. Verum neque in his locis *τίνας* illud obtinere potest, sed potius *οἱ ἐκεῖ ἐσησαν*, vel simile quid, subintelligendum, ut foedisimam voluptatem, vel probris jactatis indigne testificatam, ex fractis jam supplicii gravitate et languescentibus Jesu viribus percepisse, adstantes *συνέδοι* dicantur. Atque si vel ad supplicium a Jesu sumtum synedrium adluisse quis contendat, quid abloni, aut a nobilibus Orientalium generatim, vel ab infenso Judæorum in Jesum animo, abhorrentis, is adarmasse sit existimandus, non video; maxime quum ipsa Redemptoris causa, præsentem nec otioso Judaico Magistratu, a Pilato cognita esset, Matth. XXVII: 12. sqq. Luc. XXIII: 13. Joan. XVIII: 31.

(**) Cfr. MICHAELIS *l. c. pag. 87.*

p̄ius dicimus, nec omnes ac singulos, nemine excepto, cogitantes) ἀρχιερεῖσι καὶ Φαρισαίοις, vel de *legatis* eorum, vel de *principibus* saltem, nomine omnium ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων cum Pilato agentibus, intelligi. Quare, quum τὸ πάντες vel πάντως πάντες in textum ab Anonymo violenter esse illatum recte monuerint Theologi, hos etiam ipsos, spreto articulo, τὸ τίτες inferendum, (quo adjecto vocabulo Procuratorem pauciores Judæi privato ausu petiisse legantur), vetare religio debuit.

Quibus positis, an Synedri universi in ἀρχιερέων et Φαρισαίων describi apte potuerint (*), videndum est. Potuisse vero his duobus nominibus, quamvis diversis, honoris altero, altero Scholæ, Synedrium magnum appellari opinor, quod ἀρχιερέων ἢ ἀρχόντων ex genere sacerdotali principes, Sadducæi, Pharisei autem, quibus et multitudo maxime faveret, e reliquis πρεσβυτέρων ἢ γέροντων plurimi essent; unde οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι Joan. XI: 57. manifeste Synedrii omnium ordinum astesores complectuntur. Hic vero cur Phariseorum præcipue mentio facta sit, ratio probabilis reddi poterit, quod illi, Salvatori dum viveret infensissimi, senatus consulti de muniendo sepulcro primi forsitan essent auctores. Iisdem quoque, sicuti quæ de miraculis Iesu quæstio erat habenda, utpote qui naturæ consuetum ordinem viresque quæ superarent fieri posse credentes, ea optime cognoscere et vulgo putarentur et se ipsi putarent, vel rogati, vel sua etiam sponte, ejus negotii primas partes agere solebant. Cfr.

Joan.

(*) Negat MICHAELIS *l. c. pag. 84 seq.*, non minus ridiculam hanc esse Synedrii definitionem, quam si quis hodie convocatum Senatum Academicum commemoraturus, convenisse Doctores et Wolfianos dicat, siatuens,

Joan. IX: 13, ubi οἱ Φαρισαῖοι iidem cum τοῖς Ἰουδαίοις h. e. τῆ τῶν Ἰουδαίων γενοσῖα v. 18 esse videntur (*).

Confirmantur hæc etiam quadantenus Matth. XXVIII: 12. sqq. Veri saltem est simillimum (an eventu comprobatum dicemus?) præfectos Synedrii ad eosdem, cum quibus in furto præcavendo consensissent, annuntiata a custodibus retulisse, ut nova jam in re necopinata ac difficili gerendorum consilia caperentur (**)

B

Atta-

(*) Cfr. MICHAELIS et GROTIUS in h. l.

(**) Τὸς ἀρχιερεῖας συναχθέντας (εἰς βελὴν) μετὰ τῶν πρεσβυτέρων, cum plerisque Philologis Synedrii conventum interpretor, tum quod nulla adest ratio, cur ad consilium, in tanto, ut videbatur, pacis civilis discrimine, non vocatos τὸς γραμματεῖας existimes, tum quod alias πρεσβύτεροι, vocabulo latiori vi sumto, maxime ubi una cum Synedrii præsidibus commemorentur, omnes Senatores sæpius dicuntur. Sic Act. IV: 5, 6, οἱ ἀρχόντες καὶ πρεσβύτεροι καὶ γραμματεῖς — καὶ ὅσοι ἦσαν ἐκ γένους ἀρχιερατικῆς, comm. 25. οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐκ διῦν, et a Petro comm. 6. ἀρχόντες τῆ λαοῦ καὶ πρεσβύτεροι τῆ Ἰσραὴλ compellantur; et Jesum prehensuri, Matth. XXVI: 47, ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων τῆ λαοῦ (a Synedrio, cfr. Marc. XIV: 45) missi fuerunt. Hinc τὸ πρεσβυτέριον synonymum est τῶ συνεδρίῳ Luc. XXII: 66. et Act. XXII: 5; vid. a CAMP. VITRINGA *de Synagoga vetere lib. II. Capp. 5 et 12, atque lib. III. part. I. Cap. 1.* fusius tractata. — Neque adeo certa est συνέδρων illa in tres classes descriptio, ut nec harum duæ pro magno Synedrio poni potuerint; nam et οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς passim universi senatores sunt e. gr. Matth. XX: 18 (coll. cum XVI: 21. Marc. VIII: 31, Luc. IX:

Attamen nihil est quod impediatur, quo minus principes duntaxat Synedrorum, vel muneris dignitate spectatos vel ceterum auctoritate pollentes (*). sive collegis consultis, sive eorum consensum, re moram non ferente, praesumentes Romanum Procuratorem petitione ita adiisse, ut publicae tranquillitatis praesidium Judaici Magistratus nomine postulare ei viderentur, interpreteris.

Diei sanctitatem quod spectat, monendum primo videtur, quousque in rebus forensibus Mosaica laborum Sabbatho suscipiendorum interdictio, vel ipsa per se, vel ex vulgari Judaeorum opinione et usu patuerit, accurate definiri vix posse. Quaecunque ad studium legis divinae referri aliquatenus possent, ut judicarias v. c. deliberationes, vel quae in rogando a superioribus praesidio auxiliove sira essent, feriis etiam, quavis hebdomade habendis, agi licuisse, quanquam verisimile sit (**), de potestate tamen sententias exsequendi et decreta perficiendi impeditior est quaestio. Primis quidem solennium annuorum diebus supplicia sumta esse, vel historia passionis Christi testatur, atque Rabbiorum traditionibus si fides sit habenda, non nisi festis temporibus capite malefici plectebantur.

22) et Marc. XI: 18 (coll. cum parallelo Luc. XIX: 47).

— Nullius quoque momenti esse videtur, quod monet MICHAELIS *l. c.* pag. 199, Graecum articulum verbo *περοσβυτεραν* non a Matthaeo sed ab interprete ejus esse praefixum, quali non potuisset Matthaeus hebraice מִיִּקְרִי scribere!

(*) Qui idem est verborum *τῶν ἀρχιερέων καὶ τῶν Φαρισαίων* in Joan. XI: 47, usus.

(**) Cfr. MICHAELIS *l. c.* p. 83.

bantur (*). An vero idem de Sabbatho (**), quod ullâ ratione profanare summæ religioni post exilium Babylo-
nicum haberent (***), recentiores Judæi statuerint, non li-
quet. Sed neque certæ omnino rationi superstitio paret,
ut a rebus, quæ Matth. XXVII: 62. sqq. describantur, u-
trum Judæos prohibere, an ad eas gerendas impellere
debuerit pietatis quo tenerentur studium, tutum iudicium
ferre queamus.

Haud exiguum tamen in loco nostro explicando dif-
ficultatem parit, quod idem cum gentilibus tectum in-
gredi noluisse, solennia sua celebraturi, Joan. XVIII: 28.
Judæi narrantur. Nam hic non modo ad Pilatum acce-
dere non reformidant, sed etiam Romanis operæ com-
munionem mixti, sepulcrum obsignant, eoque factò licet
polluti, societatem hominum non solum non vitant, sed
nec lustrati, senatum cogunt Judæorum principes, et
quæ omnibus Levitice (qui dicuntur) inquinatis generatim
observanda essent, negligentes, et legem sacerdotibus spe-
ciatim Levit. XXI: 1. sqq. injunctam, ut videtur, violantes.
Quod si quis hic etiam ipsis e prætorio Pilatum obviam i-
visse, et occluso sepulcri ostio signum impressum pere-
grinorum ministerio et opere fuisse, cogitare velit, et si
vel consideraverimus, non ipsam contaminationem, sed
omissam purgationem crimen fuisse pœnæ maxima severi-
tate dignum, his tamen acceptis et perpensis, neque om-
nia ex loci utriusque laudati comparatione nata dubia
soluta esse, quisque perspicit.

B 2

Dein-

(*) פִּתְחוּ עָמָם ed. SURENHUSII p. 258; quem locum exscri-
psit SCHOETTGENIUS *Hor. Hebr. et Talmud.* ad Matth.
XXVI: 5.

(**) Cfr. supra not. pag. 4.

(***) 1. Maccab. II: 31. sqq. Matth. XII: 1. sqq.

Deinde dandum omnino Fragmentistæ, nisi omnem fidem historiæ evangelicæ evertere ipsi velimus, arbitramur, veram Regni Messiani rationem tum demum discipulos Jesu animo concepissem, cum redivivum Magistrum dilectissimum, tanquam reluctati sensibusque suis diffidentes, agnovissent; quo tandem facto vitam Redemptoris universam alia veluti mente jam considerantibus, cum multi Jesu sermones, in quibus etiam, qui mortis vincula ab ipso dirumpenda spectarent, qui prolari obscuro viderentur et abstrusi, clari atque faciles essent redditi, hos eo diligentius pia memoria recoluisse, quo certiora iidem essent divini in genus humanum Jesu amoris documenta.

Cum hoc igitur in familiaribus Jesu observato idearum ortu et progressu, quæ in Jesu ἀπομνημονεύμασι, de Eo futura sua fata tristia lataque apertius prædicente prodita sint, ita componenda videntur, ut vel symbolico quodam et ambiguo vel impeditiori (propheticum ut generatim esse solet) locutionis genere usum, non summa illa a se edenda miracula discipulis monstrasse, sed eminus veluti et leviter indicasse, ut divina ea in antecessum se quodammodo edoctos, nonnisi factorum admiratione obstupefacti putare possent, intelligamus. In qua quidem omni re sapientiam Salvatoris eo magis venerari convenit, quo difficilius discipulorum animis evellendæ fuissent præjudicatæ gentiles opiniones, et quo vehementius iis, quæ præter spem eveniant, vulgo moveamur.

Sed callidiores, inquit, Jesu adversarii erant discipulis Ejus indoctis et plebejis; unde illis, acutioribus etiam odii et pravi studii contentione, veram orationum Jesu vim, quæ hos lateret, patuisse mirum non erit (*).

At

(*) Cfr. MICHAELIS *l. c.* pag. 89.

— At Jesum factiosum esse hominem, qui regnum, Messiae persona indutus, ambiret, e medio, vel ne Romanorum in totam gentem ira concitaretur, tollendum, Judaeos credidisse, in promptu est (*). Talia vero facinora qui moliretur, ad mortem ignominiosissimam se raptum iri praesentens haberi fere non potuisse videtur.

Atqui verendum tamen fuit Judaeorum Senatui, ne, mortuo Jesu corpore furtim sublato, sectatores ejus, scelerisque, cujus ille poenam luerat, quondam consortes, alium novum impostorem sisterent, illi facie et forma simillimum, qui se Messiam mortis victorem mentiretur? (**). — Sed ea tanta circumspectione pericula cavere non solent civiles Magistratus, quin potius, ut a seditiosorum hominum, e vita jam exemptorum, machinationibus struendis securi non esse nequeunt, ita nec in loco, ubi illi maxima in frequentia crebro versati, omnibus notissimi fuerint, ne alii surgant eodem morte nuper multatos se esse jactaturi, magnopere timere possunt. Quod si quo tamen ejusmodi metu teneri poterunt, is certe natus erit longe aliis rationibus, quam quae discipulorum Jesu essent facultatum tenuium, animorumque ad res novas quaerendas minime aptorum.

Quae in eam a Synedrio custodum voluntatem monuerat Anonymus, facili negotio confutari sunt visa, cum alia data verborum explicacione, tum imprimis rei nihil inesse, quod fidem non admittat, observato (**). De ἀρχιερεῦσι illis μετὰ τῶν πρεσβυτέρων, supra not. (***) pag. 9 pauca disseruimus.

B 3

Factam

(*) Vid. praeter alia Joan. XI: 47.

(**) MICHAELIS *ib.* pag. 90.

(***) DOEDERLEIN *l. c.* pag. 234 sqq.

Factam vero esse largitionem, tantum quod turpissima sit omnique iusti et decori sensui repugnans, negare quidem vix quisquam audebit. Sed ut quævis, quo magis insolita sint, eo agrius fidem narrata habent, ita hic etiam, si quis graviora rationum momenta, quam quibus in veritate vulgarij factorum confirmanda opus sit, quarat, si cetera quæcunque rem difficilem et dubiam reddant, abesse velit, leges is non alias, quam quas in omni quaestione historica accuratioris critici observent, secutus fortasse videbitur.

Turpitudinis vero illius rationi accedit, quod in re manifeste divina ad fraudem hominibus faciendam nimis prompti paratique et Senatus Judaicus et milites Romani describantur. Nam citius hi, quam tanta passi mortales solent, tremorem vehementem exuerunt, et ille, cui et auxiliati Dæmonis et nefarii sceleris suspicionem adimere debuit ingens rei a vigilibus peregrinis et trepidis nunciata miraculum, nullo pavore rigefactus, alacritate, quæ in flagitiis minoribus committendis veteratorum (*) summa est, Dei omnipotentis veluti obicem ponere ferme est ausus.

Neque prorsus contemnenda esse, quæ ex absurditate mendacii a militibus divulgati, adversarius petierat, argumenta videntur. Custodes enim (alia ut mittamus) ut

(*) RUCKERSELDER, qui *præfatione Maknighti Comment. Harmon. in IV. Evang. Tomo III præfixa*, historiam resurrectionis Christi ab objectionibus Anonymi nostri vindicare studuit, pag. XXII neminem *hesitare posse, quin omnes litis Jesu intentatæ auctores et duces fuisse nebulones credat*, pronunciantis, pietas quidem magis laudanda esse videtur, quam in iudiciis ferendis *ἀνεπίστα*.

ut suo testimonio, se somno sopitis facta confirmare nequiverunt, ita et commenti, quod omnibus facillime esset diluendum, auctoritas Senatui, qui sapientius omnem excubiarum actarum memoriam (quo probabilior fieret nocturna funeris, sepulchrali ostio effracto, asportatio) suppressisset, quam suam rem totam ambiguæ militum fidei commisisset, tribui vix poterit.

Reliqua Anonymi ex ipsa re ducta (interna argumenta dicunt), abunde a doctissimis viris refutata, præterimus.

§. II.

Ex multis dein in quadruplici resurrectionis Jesu expositione evangelica ab Anonymo excitatis (*) sibi mutuo contrariis, ea quæ nostræ jam disquisitionis sunt, fide suæ, Luthero acceptæ, Matth. XXVIII: 1 sqq. interpretationis, maxime nituntur; quæ igitur optime componi grammaticis rationibus posse, eruditissimis viris sunt visa. Duplex vero cum sit hujus loci explicatio, advenientibus mulieribus custodes sepulchro adfuisse negans altera (**), altera adfirmans, earum hanc, Fragmentistæ probatam, et ipsam nihil quod jure reprehendas, continere, et facilitate qua-

(*) Pag. 466-490.

(**) MICHAELIS *l. c.* pag. 112 sqq., 379, 440, 488 sqq. DOEDERLEIN *l. c.* pag. 238. RUCKERSFELDER *l. c.* pag. XXX sqq. LILIENTHAL *Die gute Sache der Göttl. Offenbarung XVI. Tb.* pag. 1401 sqq. Cum quibus idem ienierat GROTIUS ad Matth. XXVIII: 2.

quadam sua commendari, illam artis quidem magis esse (*), sed quod ejus ope varia diversorum scriptorum narrationes inter se conciliari possint, eximie laudandam, qui censeat, tutissimus ab erroris periculo forsan erit.

§. III.

Quod militum illorum nec ullam memoriam alii præter Matthæum Evangelistæ conservarint, nec eos (maxime

(*) Qui non harmoniæ condendæ causa ad Matthæum legendum accesserit, verbis ἦλθε — εἶπε v. 1-5, varias actiones, quarum aliæ alias proxime sint secutæ, significari sine dubio existimabit. — Quodli τὰ ἐγένετο, ἀπεκάλισσε, ἐκάθητο, ἐσεισθήσαν, ἐγένοντο, ita vertenda sint (quem aoristorum usum rariorem non negabo), ut ante quam mulieres advenissent, τὸν σεισμόν, rel., facta fuisse intelligas, et τῷ ἦν (v. 3) illis verbis interjacentē, pariter ac sequente τῷ εἶπε v. 5, ea quæ præsentibus mulieribus obtinerent, exponi (qui quidem multiplex saltus vix ferendus!), et e textu fere excidisse quædam, quæ fugientes reddito ipsis animo milites et angelum monumentum intrantem complexa sint, videbuntur. — Hus etiam quam vocabulis ἀπεκριθεὶς δὲ ὁ ἀγγέλως εἶπε inlit, iis adjicit MICHAELIS, l. c. p. 106 ipsa: *Dieser Engel sprach* transferens. — Neque (vid. *Id.* pag. 117) angeli verba: οὐκ ἔσιν ὧδε, — δευτε, ἴδετε τὸν τόπον, v. 6, eum sceminas allocutum in sepulcro sedisse, sunt argumento, et ad usum linguæ accommodatius τὸ ἐξελθῆναι ἀπὸ τοῦ μνημείου v. 8, de mulieribus a sepulcro abeuntibus, quam e sepulcro (*aus dem Grabe binaus*) egressis sumitur. — Ingenio quoque suam v. 11. explicationem (*ib.* p. 195) maxime debere videtur MICHAELIS.

me scil. idoneos) resurrectionis Jesu testes unquam Apostoli, sive in privatis suis institutionibus, sive Christum ^{et adde} reversum publice annunciantes, sive rei in foris sapius constituti, citasse legantur, vel inde ficta esse (quod sibi Fragmentista persuaserat (*), quæcunque adpositam sepulcro custodiam spectent, minime sequi, multis Theologi demonstrarunt (**). Quorum igitur diligenter disputata ita probamus, ut quicquid in hac re ex solo historicorum et epistolographorum silentio ducatur argumenti, ejus in eo fere omnem sitam esse vim, ut vigiles constitutos, rel., non fuisse posse ostendatur, existimemus.

§. IV.

Sigillatim igitur consideratis [nonnullis gravioribus ab Anonymo in medium prolati, an res universa a Matthæo tradita, et ipsa implicita dubiis, nec æqualium scriptis confirmata, sed repugnans potius, fidem mereat, cognituro, et eximia sensus subtilitate et ingenio in rebus examinandis versatissimo utendum esse patet. Nam sejunguntur invicem a se, quæ vera sunt, et quæ falsa, infinitis sæpe veluti gradibus, quos scandentium, ejus in quo consistendum ipsis sit, quasi altitudinem et ab ultimo utroque distantiam oculis metiri, summi est acuminis. Augentur etiam et minuuntur verisimilia, partium, e quibus composita sint, ratione, adeo ut in quibus plurima et maxima difficilia sint, minime probabilia habeantur.

C

No-

(*) *Pag.* 439-451.

(**) MICHAELIS *l. c. p.* 205-216, 381 *sqq.*, DOEDERLEIN *l. c. pag.* 218-230, alii alibi.

Nostram igitur in hac causa sententiam aliorum iudicio prævertere nolumus, cuique libertatem Christiano homine dignissimam, qua suæ mentis sagacitati ipsi fidere liceat, permittentes, et ut studium evangelica quæcunque sint, sibi mutuo conciliandi et comprobandi ab altera parte laudantes, ita ab altera neque, si cui eorum aliqua minus expedita sint, id ægre ferentes, sed id imbecillitati ingenii humani saltem condonantes.

§. V.

Difficultates vero in quibus nonnulla sint Matthæi loca, declinaturus STROTHIUS, quædam reliquis N. T. auctoribus ignorata, Matthæo nostro, ante quam idem Palæstinam patriam egressus eslet, ἐκ παλαιστίνης esse adjecta, in opinionem (*) adductus est. Quæ igitur additamenta, quod ut fabulosa eadem certisque aliis contraria, ita di-

vino

(*) Quæ ipsi eo fuit probabilior, quo certius pluribus et sacris et profanis scriptis aliena hic illic antiquitus inserta esse constaret, quoque eslet verisimilius; varias fuisse antiquissimas unius ejusdemque Matthæi, magis minusve traditionibus ad Jesu vitam pertinentibus locupletes, per Palæstinam vulgatas editiones (de quibus e recentioribus cfr. G. E. LESSING *Theol. Nachlass* pag. 45-72, CHR. FR. WEBER *Beitr. zur Gesch. d. Neutestam. Kanons* pag. 1-62, REPERTORIUM *fur Bibl. u. Morgenl. Litt.* I. Tb. pag. 1 *sqq.*, TH. CHR. TYCHSEN in *Michaelis N. Or. u. Exeg. Bibl.* IX Tb. pag. 123 *sqq.*, al.). — Quibus vero rationibus quoniam nonnulli potuisse rem fieri demonstrabitur, an eorum quæ in variis scriptoribus vitiata putaret STROTHIUS, aliqua (cfr. HENKE *l. c.*) sana sint, pariter atque an plures sint pseudepigraphi quam inter-

vino scriptore indigna et obscuræ originis (*) manifeste sint, ab iis quæ Matthæi sint vera, facile dignoscenda esse judicavit. Præter quæ universè posita, in custodum nostrorum historiam speciatim pauca leviora monuit, ut eam totam in exemplo Matthæi, quo Celsus sit usus, de-
fuisse (**), et τὸ μὲχρι τῆς σήμερον Matth. XXVIII: 15, re-
motius

C 2

polati vetustatis libri (quam rationem STROTHIO incundam fere existimasse videtur DOEDERLEIN *Theol. Bibl. II B. p. 710*), anxie non erit dubitandum. Neque STROTHUM valde feriunt, quæ de episcoporum in integritate divinorum scriptorum conservanda religione (non omnino indubia) HENKE habet, maxime quum de laciniis veluti Matthæo, Græcis nondum cognito, adfuit sermo sit; et anceps ferme videtur EJUSD. ex usu Matthæi evangelii vulgatissimo petatum argumentum.

(*) Studium recentiorum Judæorum, vera facta miraculorum figmentis adornandi, quod in plerisque Apocryphis veluti regnat, quodammodo redolere, quæ de sepulcro Jesu superstitione munito et de custodibus turpiter corruptis apud Matthæum legantur, nemo negabit; cujus traditionis, utrum intercedente ei cum iis (auctoritatis non certæ, vid. EICHHORN *Einl. ins A. T. §. 614*, et BAUER *Einl. in die Sch. d. A. T. §. 337*), quæ Dan. VI: 17 sqq. gesta commemorantur, similitudine, fides stabiliatur, alii videant.—Suspicioni etiam aucti Matthæi locum saltem dat, quod in iolis apocryphis (v. gr. Evangelio Nicodemi, (cujus plenior et infulsissimam rei narrationem videlicet in FABRICII *Cod. Apocr. N. T. p. 265* sqq.) historia nostra prodita sit; vid. STROTH *l. c. p. 128*.

(**) Præterquam quod ob familiarem Patribus ecclesiasticis adverbios nominis Christiani refutandi rationem, argu-

motius a re gesta temporis spatium, quam quo Matthæus scripserit, indicare (*), videri.

Addi his poterit, expunctis versibus C. XXVII: 62-66, et XXVIII: 4, 11-15, aptam manere reliquæ in Matthæo narrationis seriem. Nam facilis omnino videtur a mulierum e regione sepulcri sedentium C. XXVII: 61 facta mentione ad easdem tertio post die reversas C. XXVIII: 1 commemorandas, et a descriptione angeli C. XXVIII: 3 ad ejus verba v. 5 recensenda, atque a dando discipulis ut Galilæam peterent, v. 10 mandato, ad ea quæ

menta ab his allata, ex illorum scriptis accurate definire difficillimum est, neque in Cello hujus loci ignorantiam (ut in aliis solebat, quæ illum fraudulenter prætermisisse putaret, STROTH *l. c. p. 151 sqq.*) exprobravit. Celsum vero custodes illos fuisse, non magis quam reliquos omnes, excepta Maria Magdalena, Jesu resurrectionis testes eum tacuisse vel rejicisse, mirum erit.

(*) Matthæus qui Cap. XXVII: 8: *ἕως τῆς σήμερον* scripserat, quidni hic idem eodem *μέχρι τῆς σήμερον* utens, stultitiam Judæorum cogitasse videbitur, qui per plures, quaquam non plurimos, annos, sermonem, vel per se aperte falsum, confidentius circumferrent? — Τὸν λόγον vero *διεφημισμένον παρὰ ἰουδαίους* rumore de corpore furtim ablato potius, textus etiam ratione jubente, interpretor, quam (cum Rev. DOEDERLEIN *Fragm. u. Antifragm. p. 237*) celebritatem custodum corruptionis, tum quod illud *μέχρι τῆς σήμερον* rem fortasse brevi desitutam (qualis fama sceleris a discipulis Jesu commissi, Matthæo s. Pseudomathæo, horum fide novis quotidie documentis confirmata, haberi potuit), indigitare videtur, tum quod ceterum improbable est, diseminati a suæ gentis optimatibus mendacii turpitudinem Judæis notam fuisse.



quæ, cum hi dicto audiissent, evenirent, v. 16 exponenda, transitus.

STROTHII igitur hypothesin, quæ tota quanta rei ipsius a Matthæo narrata rationibus superstructa sit, probabilitatem non superare palam est. Sed neque valde firmiora fere sunt (quod ipsa res secum fert), quibus in omni quæstione critica sublimiore (quam dicimus) insistamus. Accepta vero ejus sententia quoniam multis, quæ in redeuntis in vitam Salvatoris historia interpretanda dubitationem habere possint, expeditur, saltem non omnino ingrata cuique, qui in veritatem evangelicam (de qua sane optime menuisse est, spuria a genuinis Evangelistarum distinxisse) pietate teneatur, ejus erit in emendando Matthæo collocata opera (*).

§. VI.

Certi igitur nihil de autbentia loci nostri definire audentes, eadem tamen in dubio posita resurrectionis Jesu
C 3 veri-

(*) Bene hinc EICHHORN in THESSIIUM: *Wir wissen es mit den übrigen Einsichten des Verf. nicht zu reimen, dass er die Strothische Hypothese von interpolirten Stellen in den Evangelien als so gefährlich darstellt. Eben dadurch wird ja unser Glaube erst recht sicher und fest, wenn selbst aller Verdacht entfernt ist, dass man sich selbst täusche. Und so lang ist man doch von diesem Verdacht noch nicht entbunden, als man nicht richterlich streng und kritisch genau jede Stelle ihrer Aechtheit nach geprüft hat, aus der leidigen Besorgnis, es möchte vielleicht zuletzt mehr wegfallen, als man gern abgeben möchte. Zweifeln giebt erst Festigkeit in Wissen! Allg. Bibl. d. Bibl. Lit. II, B. pag. 679.*


veritatem minime vacillare, paucissimis monebimus. Nam remotis custodibus illis Romanis (quorum vel fidem esse ancipitem bene docuerunt (*) Theologi), alii remanebunt redditæ Jesu vitæ testes, certissimi omnique exceptione superiores, nempe qui eundem Jesum, quocum diuturniore familiaritate ante mortem Ejus verlati essent, redivivum se per quadraginta dies sapius suis oculis vidisse, locutum audivisse, cum Ipso cœnasse, rel., et in cœlum tandem Eum sese spectantibus sublatum esse, non verbis modo confessi, sed morientes etiam, editisque miraculis, confirmarent. Quibus quæ graviora esse possunt in comprobanda latissimi nobis eventus veritate argumenta? Et fraudis enim a Jesu familiaribus factæ nefariique suum commodum promovendi studii suspicio omnis exulare debet, vitæ eorum castitatem, sanctitatem doctrinæ, animique inprimis magnitudinem (subito in metu et tristitia, dato neci fœdissimæ Salvatore, confectis exortam (**)), qua innumera mala ob annunciatum evangelium sibi infligenda despicerent, considerantibus; et vitorum vanitate eosdem non fuisse deceptos, qui a morte reducem Jesum ægerime agnoscerent (***) persuasum nobis habemus.

His igitur *μάτῳσι τῆς ἀναστάσεως τῆ Ἰησοῦ ὑπὸ τῆ Θεῶ προεχειροτονημένοις* (Act. X: 41) fidentes, Jesum ut hi sublimem in cœlos evehctum viderunt, ita Eum, Dei filium, gloria et dignitate, quæ Ipsi e terris abeunti cessit (Phil. II: 9), conspicuum, demum esse venturum (Act. I: 11), firmiter tenemus.

(*) *LI.* supra §. III. *cit.*

(**) HERDER *Von der Auferstehung* pag. 94 *sqq.*

(***) v. gr. *Luc. XXIV: 37 sqq.*



Erratum: typoshetæ.

Pag. 4. not. (°) lin. 16. lege: qui eo anno in
profabbathum inciderat.

